

perg. in chron. partim Zonaras, partim Cedrenus, apud Baron. an. 318. Cum B. Ælfegus Vintoniensis in Anglia episcopus in die cinerum pœnitentes de more ab Ecclesiæ liminibus removeret. hortatus est eos ut tempore quadragesimali jejunio et castitati vacarent. Quorum unus, cæteris episcopi jussioni libenter subscribentibus, joculari cœpit dicens, se a cibo pariteret conjugio non posse abstinere, cui episcopus: *Contristas me miser oppido nesciens quid tibi pariat dies ventura. Quid actum? Postera die miser ille in cubiculo suo repertus est exanimis, incertum utrum a diabolo suffocatus, Baron. anno 947. ex hist. Flor.*

Quando igitur, auditores, vidimus quam salutare sit correctioni acquiescere, quamque periculosum resistere, consulamus nobis ipsis et rebellium interitu eruditi imitemur hominem illum, qui in hodierno evangelio libenter admisit in vulnera sua oleum et vinum. Ita enim fiet, ut cœlestis noster Samaritanus suscipiat nos in curam suam, evectorumque in equum gratiæ suæ perducat ad hospitium æternæ felicitatis.

CONCIO V.

DAMNA PECCATI ORIGINALIS.

I. Vulneratus intellectus. — II. Vulnerata voluntas. — III. Vulnerati sensus et appetitus. — IV. Vulneratum corpus. — V. Vulneratus homo in externis bonis.

THEMA.

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones. Luc. X.

S. Job cum aliquando statum suum felicem, in quo fuerat, et miserum, in quem devenit, considerat, hæc secum ipse lamentabundus loqui cœpit, c. XVI. *Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum; tenuit cervicem meam, confregit me, et posuit me sibi quasi in signum. Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos; non pepercit et effudit in terram viscera mea. Conscidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas. Hæc quidem Jobo fecit Deus, cum prosperam ejus fortunam repente in sinistram vertit; sed hæc eadem verius, ut reor, fecit Deus universo generi humano, postquam cum Adamo lapsum est. Tunc enim justo Dei judicio ex opulento illo statu in miserrimum detrusum, contractum, convulneratum, et vulneribus innumeris concisum est; id quod hodiernum nos docet evangelium, in quo miser ille viator spoliatus et sauciatus nihil aliud nisi genus huma-*

num significat. Quæ vero sint illa vulnera, videndum nunc, ut hinc discamus et peccati gravitatem et remedii, quod exhibuit nobis Christus, verus Samaritanus, necessitatem ac pretium.

I. Doctissimus vir s. J. Benedictus Pererius, lib. V. in Gen. quinque mirabiles effectus justitiæ originalis fuisse scribit. Primo enim, faciebat hominem veri cognoscendi non solum cupidissimum, sed etiam rerum, quæ naturaliter sciri possunt, docilem et gnarum. Secundo, faciebat hominem usquequaque rectum, juxta id Eccl. VII. *Fecit Deus hominem rectum*, hoc enim ad omne opus bonum morale propensum, et ab omni malo aversum. Tertio, faciebat partes inferiores superioribus obediens et subditas. Quarto, faciebat naturam humanam secundum omnes suas partes et facultates integram et perfectam, ita ut omnes et singula munera et functiones suas expedite possent obire. Denique, præstabat homini naturalem felicitatem; ita ut nullum ei abesset bonum, quod naturaliter expetere et comparare poterat, nullum etiam adesset malum, quod hanc ejus felicitatem offenderet. Omnia hæc bona periere peccato originali; nam primo, vulneratus est intellectus, et periit primum bonum: deinde, vulnerata est voluntas, et periit secundum: tertio, pars animæ inferior, sensus et appetitus et ipsi sauciati sunt, et periit tertium bonum: quarto, sauciatur etiam corpus, et periit quartum: denique, in bonis etiam externis homo damna plurima accepit, et periit quintum bonum. Omnia hæc damna insinuata mihi videntur in hodierno evangelio. Nam primo, humanum genus descendit ab Jerusalem in Jericho. Et ecce primum damnum: *Jerusalem enim visio pacis, Jericho luna exponitur. Unde per Jerusalem plena cognitio; per Jericho obscura et tenebrosa designatur. Et quæ sunt vulnera intellectus? Primum, ignorantia in infantibus, quanta nec in bestiis reperitur. Unde Aug. l. I. de merit. et remiss. c. XXXVIII. ait: « Multorum pecorum pulli etiam minutissimi matres agnoscunt, nec sugendis uberibus cura et ope admoventur aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabili facilitate noverunt. Contra homini nato, nisi ope nutrientis admotis labris papillæ uberis ingerantur, nec ubi sunt, sentiunt et juxta se jacentibus mammis magis possunt esurientes fieri, quam sugere. » Secundum est fatuitas quædam subinde in adultioribus, discendi difficultas et fastidium. Unde August. in epist. XXVIII. ad Hieronymum: « Tam tardi, inquit, nonnulli sunt et obliviosi, ut ne prima quidem discere litterarum elementa potuerint.*

Quidam vero tantæ sunt fatuitatis, ut non multum a pecoribus differant, quos moriones vulgo nominant: » et, lib. XXII. de civit. c. XXII. « Sine labore nihil scimus, discimus cum labore: et plerique sic discendi laborem fugiunt, ut malint in perpetuis ignorantie tenebris versari, quam laborem subire ad discendum necessarium. » Testis est experientia, rarissime discere pueros, nisi virgis compellantur. Tertium, error circa Deum; cum enim nihil clarius sit, quam Deum omnium rerum auctorem esse, cui soli cultus, honor et amor debeatur; homines tamen sibi deos manibus fabricant, coluntque vitulos, statuas, imo cacodæmones: et pene singuli peculiare sibi genios pro libitu suo fingunt, quos sequuntur et colunt. Quartum, ignorantia ultima finis, non solum supernaturalis, sed etiam naturalis; plurimi enim homines ignorant, quorsum vivant; ut alii voluptatem, alii divitias, alii contemplationem siderum, finem hominis statuerint. Hinc diversæ philosophorum sententiæ et vivendi rationes, dum unus Epicurum, alius alium sectatus est magistrum. Quintum, ignorantia mediocriorum ad finem. Tametsi enim aliqui finem suum non ignorant, cœcutiunt tamen in mediis eligendis, in fide, in lege Dei servanda, etc. Hinc nemo non sæpenumero dubitat et deliberat, quid agendum vel omittendum sit, hic et nunc præsertim seu particularibus in negotiis: *Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ, ait Sapiens, cap. IX. Sextum, ignorantia rerum naturalium, etiam earum, quæ sub sensu cadunt. Cum enim omnes homines naturaliter scire desiderant, ut ait Aristoteles, lib. I. metaph. eorumque munus sit contemplari naturas rerum, et inde assurgere ad cognitionem creatoris; tanta tamen est imbecillitas mentis humanæ, ut ne formicæ quidem naturam perfecte norit; et tantum abest, ut inde creatorem suum agnoverit, ut etiam cepis et aliis aliqui divinitatem attribuerint. Septimum, ignorantia sui ipsius. Nec enim solum naturam suam, animæ nimirum et corporis vires, partes, operationes; sed etiam actiones suas sæpe non agnoscit, malæ ne an bonæ sint, an deliberate ad aliquid consenserit, quoties et quantum peccaverit. Unde ea difficultas prodit, ut nesciat homo, parare morbis suis medicinam, dum nescit, quo laboret morbo. Octavum, curiositas in scrutandis rebus aliorum et neglectus sui ipsius. Plerumque enim in alienos oculati, in nos ipsos cæci sumus, et videmus festucam in oculo fratris, trabem autem in oculo proprio non videmus: atque ita quod necessarium est, omitimus, cognitionem nostri: quod inutile et plerumque noxium, sectamur, scruta-*

tionem alienorum. Nonum, distractio ad cogitationes vanissimas, ridiculas, ineptissimas, etiam alienissimo tempore, dum scilicet rebus divinis studere, aut aliis contemplationibus intenti esse volumus. Unde queritur S. Hier. in dialog. adv. Luciferianos: « Nunc creberrime in oratione mea aut per porticus deambulo, aut de fenore computo, aut abductus turpi cogitatione etiam, quæ dictu erubescenda sunt, gero. » Sic ille, forte in persona aliorum. Decimum impedimentum, quod opponitur homini a comparatione scientiarum, ab ipso ejus corpore, quod ei pro instrumento datum est ad scientias comparandas; cum tamen nullum aliud corpus impediatur actionem propriæ formæ. Unde fit, ut licet mens nostra æterna sit, eique perpetua operatio debeatur, a corpore tamen impedita, ne mediam quidem vitæ partem sibi vindicare queat. Nam infantia imprimis et pueritia detrahenda est: deinde, plurimum temporis requirunt corporis refectio et quies, relaxatio animorum, aliæque corporis necessitates. Quod ergo superest animæ, quantum id est? Ex quibus omnibus patet, quam vere dixerit David, Psal. XLVIII. *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.*

II. Despoliatum est genus humanum rectitudine illa voluntatis, qua ad bonum propendebat, a malo vero abhorrebat. Inde enim cœpit voluntas ruere in omnia vitia, vel hoc ipso, quod oculo intellectus destituta fuit. Si enim cæco ducem auferas, necesse est sæpe impingat et labatur. Sed præter hoc ex illa despoliatione in alias miseria incidit homo, quæ habent se ex parte voluntatis. Prima est, aversio a cultu veri Dei etiam post tot beneficia, argumenta et miracula, quibus se patefecit hominibus, et propensio ad colendos deos fictitios, tametsi hi acerbissima quæque exigant, uti immolationem liberorum et similia, nec ulla divinitatis argumenta edere possint. Patet in Hebræis, (ne dicam in gentilibus) qui tam facile et toties reliquerunt Deum suum, qui per tot miracula suam illis deitatem et amorem demonstravit; deos vero quos ignorabant, coluerunt, et filios suos immolaverunt Moloch. Secunda est philautia seu amor sui. Cum enim rationalis creaturæ sit amare creatorem suum amplius, quam seipsam, et omnia creata (quomodo videmus membra capitis tuendi gratia, ictibus se objicere) nunc ordo hic inversus est, et nascuntur homines magis inclinati ad amandum se, et quæ ipsis placent, quam ad amandum Deum: ex qua pessima radice amoris inordinati, nascuntur omnia peccata. Non enim peccant homines casu, sed propter aliquod

proprium commodum aut voluntatem, aut gloriam, ad quam perversus ille amor adspirat. Tertia difficultas, quam experimur in vitiis superandis et virtutibus colendis; pronitas vero ad peccata perpetranda. Res enim omnes pondere quodam in suum feruntur finem, et ea quæ sunt naturæ suæ consentanea, avide arripiunt, impedimenta vero repellunt: ad ea item, quæ naturæ repugnant ægre ac difficulter impelluntur; ita ut moles gravissimas evertant potius, quam ut a fine suo recedant, vel ad contraria moveantur. Finis autem hominis naturalis est vivere secundum rationem, eamque ducem sequi. Proinde virtus quæ potentiam ad finem illum juvat, ut cum voluptate bene agat, maxime secundum naturam est. Quid enim æquius et rationi conformius est, quam honorare parentes, gratum esse benefactoribus, sectari sobrietatem, etc? Quid iniquius et rationi difformius, quam parricidium, ingratitude, ebrietas? Et tamen experimur illa difficulter, hæc vero facile fieri. Hinc enim virgis coerceri a peccatis, et impelli ad virtutem pueri debent; subditi pœnis variis, a legibus decretis, crucibus, securibus, patibulis, rotis, ignibus, etc. Ita ut si homines sibi dimitterentur, rarissimi forent, qui non in enormia scelera et pœnas prædictas inciderent. Quanta autem hæc miseria, non posse ab una miseria, nisi per aliam liberari? Hinc monarchæ hujus mundi, qui superiorem non agnoscunt, nec fide præditi sunt, nec habent, qui illorum appetitibus resistant, ordinarie pessimi fuere. Quot ex illis Sardanapali, Neronis, Caligulæ, Heliogabali, Phalarides, Xerxes, qui omni turpitudini se tradiderunt et voluptati? Quorum ultimus Xerxes eo dementiae devenit, ut certum præmium proposuerit omnibus, qui novum genus luxuriæ invenirent. De quibus Prov. II. dicitur: *Lætantur, cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis*: et Job, cap. XV. *Bibunt sicut aquam iniquitatem*, id est, cum delectatione et facilitate. Hæc autem manifestissima signa sunt naturæ depravatæ. Cum enim cernimus creaturam aliquam avidissime comedere terram, facile animadvertimus eam esse infirmam, cum appetat rem suæ naturæ admodum contrariam. Sic cum videmus avem non posse volare, aut piscem vix posse natari, aut hominem aliquem vix posse stare aut ambulare, sed perpetuo velle jacere, nonne apparet eum esse debilem et ægrotum? Quarta negligentia incredibilis ad bene beateque vivendum. Num enim nobis constet, beatitudinem hujus vite in virtutibus esse positam, et simul sciamus, quam difficulter operemur ea, quæ sunt virtutis: magnum adhibere conatum deberemus ad vir-

tutes sectandas. Rursum cum animam sciamus esse immortalem, par esset, ut animæ negotium præ omnibus aliis tractarem et novissima nostra præcogitarem. At videmus homines plerosque hac de re nihil prorsus sollicitos, et ne in extrema quidem senectute studium adhibere ad procurandam salutem. Tanta nimirum miseria, tantus lethargus genus humanum oppressit. Quinta, immodica sollicitudo in temporalibus lucris captandis. Cum enim in veris et solidis bonis quærendis ignavissimi simus, iidem in sectandis et comparandis fluxis et inanibus sumus attentissimi. Unde Satyrius exclamat: *O curas hominum! O quantum est in rebus inane!* Cum audimus concionem mox dormire incipimus; cum vero audimus vanitates, et ludicra, vigiles sumus et indefessi: cum quid cogitamus de Christi passione aut quatuor novissimis, nihil aut parum commovemur, licet ea maxima sint: cum vero cogitamus de injuria nobis facta et ultione, de temporali aliquo lucro quod speramus, toti inflammamur ad iracundiam et varia desideria: cum quid erogandum in eleemosynam, statim conquerimur de necessitatibus nostris: sed si inutiles fieri sumptus in symposia et vestes debeant, nihil ibi deesse querimus. Sexta, inconstantia, instabilitas et pugna quædam humanæ voluntatis cum appetitu sensitivo, imo et cum seipsa. Res enim cæteræ sive superiores ut angeli, sive inferiores, ut pecudes semper idem volunt aut nolunt, bonum constanter prosequuntur, malum constanter fugiunt. At homines rem eandem modo volunt, modo nolunt; modo neque plane volunt, neque plane nolunt. Unde Aug. I. VIII. confess. c. XIX. «Ego cum deliberabam ut jam servirem Domino Deo meo, sicut diu disposueram: ego eram qui volebam, ego qui nolebam: nec plane volebam, nec plane nolebam, ideo mecum contendebam, etc.» Septima, fastidium proprii status, dum nemo sua sorte contentus est. Cæteræ res si habeant quod natura ipsarum requirit, acquiescunt, neque mutationem ullam expectant: sed non ita homo. Signum ergo est naturam ejus corruptam esse. Sic enim ægrotantes nunc unum, nunc alterum volunt, fastidiant cibos ac lectum, et modo huc modo illuc se convertunt. Unde chr. ho. LXVII. ad pop. Ant. ait: «Sicut qui aliqua corporis parte dolent, se proximos doloribus superare putant: et oculum habens vitiatum, nullam ægritudinem aliam talem esse censet, qualem suam: rursus qui stomacho laborat, hoc omnium difficillimum esse asserit: sic et in cruce qua quis detinetur, hanc asserit esse difficillimam, etc.» Octava, inevitabilitas peccati mortalis sine gratia: et venialium

etiam cum gratia, nisi cum privilegio singulari. Cum autem nemo peccare possit, nisi velit, nec quidquam sit magis in potestate hominis quam velle: quid est quod non possit semper bene velle? Magnæ utique ægritudinis argumentum. Ut enim æger aliquis potest facere singulos passus e viginti passibus, sed non potest omnes: ita et homo post naturam corruptam potest quidem singula vitare peccata, sed non omnia, mortalia quidem sine gratia: venialia vero etiam eum gratia.

III. Plagis impositis graviter sauciatur est in parte animæ inferiore. Prima earum plaga est in sensibus externis, quibus multi sæpe nascuntur orbi, alii cæci, alii surdi, muti, claudi, etc. Quod absque dubio ad pœnam originalis peccati pertinet, ut refert S. Augustinus. lib. VI. in Julian. cap. IV. neque enim in aliis animantibus talia cernimus, quæ in hominibus sæpe deflemus. Secunda est in sensibus internis, eaque duplex: prima, illusio phantasie, quæ somnia causat tristitia et horribilia sæpe, adeoque quietem hominis perturbat et sensus: secunda, impedimentum quod affert sæpe interior sensus menti. Cum enim servire intellectui deberet, sæpe mirum in modum eum confundit, varia figmenta importunissimo tempore suggerendo, et mentem a contemplatione ad suas nugas avertendo. Quintam sæpe numero pervertit judicium, ut pulcherrimum esse judicet, quod est fœdissimum, et nobile, quod est vilissimum; ideoque voluntatem perdit amare faciat. Tertia, infirmitas in appetitu, qui dicitur irascibilis. Cum enim hæc facultas data sit homini, ut velut miles armatus imperanti rationi pareat, et robur atque audaciam ad res bene gerendas præbeat: contra sæpe accidit, ut imperium rationis invadens tyrannum agat, hominemque in feram quasi convertat, cogatque eum impetu ferri, insilire ut canes rabidos, pungere ut scorpiones, mordere ut serpentes. Nascitur nobiscum ista pestis. Unde S. Augustinus. lib. I. conf. cap. VII. «Vidi ego, inquit, et expertus sum zelantem parvulum: nondum loquebatur, et intuebatur pallidus amaro aspectu collectaneum suum.» Quarta est concupiscentia, in appetitu concupiscibili, quæ post originalem justitiam soluta, contra spiritum pugnat assidue, unde nascitur intestinum istud bellum, quod nisi post mortem finiri non potest. Propter quod apostolus clamat ad Rom. VII. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quantum vero imperium in rationem hic affectus acceperit, et contra quam debiles sint vires rationis adversus impetum indomitæ illius feræ, testatur plurimorum vita adolescentum, qui præ incendio tur-

pissimarum voluptatum quandoque ad insaniam aguntur; testantur novæ et inauditæ libidinum inventiones, quibus omnium belluarum concupiscentia longe superatur; testantur gravissimi lapsus et tragœdiæ, Samsonis, Davidis et Salomonis; testantur jejunia, vigiliæ, humicubationes, flagella, cilicia, spinarum aculei et horum similia, quibus sancti viri velut armis cœlestibus ad hostem hunc reprimendum utebantur. Denique, affectuum omnium humanorum inobedientia: qui omnes desierunt post peccatum in hominis esse potestate, sed commoventur, non expectato rationis imperio, ipsi imperanti non obediunt, nec aliter jam ad rationis et voluntatis imperium se habent, quam membra paralytica ad voluntatem hominis movere ea cupientis, ut asserit Arist. I. I. ethic. non enim ea quando vel quomodo et quantum vult, movere potest.

IV. Semivivum remansit quoad corporis miseras, quibus adeo confectum est, ut non immerito apostolus dixerit: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Prima harum miseriarum, morbi sunt infiniti, qui corpus infestant et conficiunt: secunda, medicamenta morborum, quæ et ipsa plerumque sunt tormenta et carnificinæ, uti inedia, sectiones, ustiones, etc. ita ut multi sæpe levius malum putent esse morbum, quam medicinam: tertia, inopia cibi et potus, quæ sæpe ad immanem rabiem perducit homines. «Nonne, inquit S. Augustinus, lib. XXII. de civit. c. XXII. ad hoc perduxit sitientes ardor immanis, ut urinam quoque humanam vel etiam suam biberent? Nonne ad hoc fames, ut a carnibus hominum abstinere se non possent, nec inventos homines mortuos, sed propter hoc a se occisos, nec quoslibet alienos, verum etiam filios, matres incredibili crudelitate, quam rabida esuries faciebat, absumerent?» Quarta, labor magnus et assiduus ad inopiam arcendam: unde Job. XV. ait: *Nascitur homo ad laborem, et avis ad volatum*: et ita miseria per miseriam, inedia per laborem pelli debet. Potuisset utique Deus qui pascit aves etiam non serentes neque metentes, neque in horrea congregantes, pascere etiam simili modo sine labore homines: sed in pœnam primi peccati statuit et dixit: *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo*; ut homines: *A pœnali exilio*, ut loquitur Aug. suprad. loco, *non nisi pœnali eruerentur auxilio*. Quinta, brevitatis vite. Cum enim homines ad sapientiam et scientiarum comparisonem, in qua propria eorum operatio consistit, non nisi longo tempore pervenire queant, æquum videbatur ut diutissime viverent: alioquin enim pauci vel nulli finem sibi proprium et naturalem poterant at-

tingere : contra tamen vita hominis brevissima est, et plurimi decedunt, antequam ad maturam aetatem deveniant, et qui longissime vivunt, cervorum et coturnicum aetatem non attingunt. Unde non defuere philosophi, qui naturam accusabant, quod longiorem vitam cornicibus quam hominibus dedisset. Alius tunc mori se querebatur, cum vitam hominis propriam agere inciperet : alius librum suum sic orditur : *Ars longa vita brevis*, q. d. non recte cum hominibus agi, qui propter vitæ brevitate artes sibi proprias assequi non possent. Necnon S. Job, c. XIV. lamentatur : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis : qui quasi flos egreditur, et conteritur et fugit velut umbra.* Sexta, timor imminentis mortis continuus, tametsi enim vita humana amara est, amarior tamen est mors : unde rex ille Agag dixit moriturus : *Siccine separas amara mors?* I. Reg. XV. Ac quanto plus solatii et deliciarum percipit homo in vita, tanto amariorem experitur mortem. Quia enim animus immortalis arctissimo nexu junctus est corpori, id immortale etiam desiderat et a se inseparabile. Hinc ergo mors conjuges illos amantissimos separans, hostis est naturæ, et omnium terribilium terribilissimum recte nominata.

V. Relictum est sibi. Sicut enim latrones misero illo semivivo relicto abierunt; relicto inquam incurisibus bestiarum et aliorum infortuniorum : sic humanum genus per peccatum originale, aliis etiam miseriis, quæ extrinsecus accedunt, relictum et subjectum est; quarum prima est Dei ira et derelictio. Nascimur enim omnes *filii iræ*, ut ait apostolus, ad Eph. II. Quis autem erit pro nobis, si Deus contra nos? Dei assistentia ante peccatum faciebat, ut homo non posset decipi, labi, mori. Nunc una cum assistentia illa singulari, omnia hæc ablata sunt. Secunda, dæmonis impugnatio et insidiæ, cujus potestati et vexationi traditi sumus. Nam ut ait S. Petrus, ep. II. c. II. *A quo quis superatus est, huius et servus est.* Exinde omnium mentes sollicitat ad peccatum, et mille nocendi artifex diu noctuque *circuit quærens quem devoret.* Quanta eorum potentia? Quanta astutia? Quanta vigilantia et infatigabilitas? Quantus numerus? Tertia, hominum crudelitas, nam etiam *homo homini lupus.* Quis enim explicat quanta patiantur homines ab hostibus, piratis, latronibus, inimicis? Unde vincula, exilium, deprædatio, eruciatu, privatio membrorum et sensuum, supplicia, oppressio hominum, nisi ab hominibus? Et apost. Jac. c. IV. *Unde bella et lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ mili-*

tant in membris vestris? Eodem pertinet servitus quæ non a natura, sed a peccato introducta est. ut patet ex maledictione Cham et Chanaan : *Servus servorum erit fratribus suis*, Gen. IX. Quarta rebellio animalium : præfuit enim animalium peccatum homo bestiis terræ, volatilibus cœli et piscibus : sed postquam ab obedientia Dei recessit, etiam animantia pleraque rebellare ei cœperunt, quæ quidem compellere ad obediendum potest, sed non nisi vi et industria adhibita et cum periculo. Neque solum agrestes feræ, sed etiam mansueta et domestica animalia, cum in rabiem aguntur, hominibus terrorem incutiunt et damna inferunt. Quinta, calamitas, quæ a cœlo et elementis sæpe numero provenit, uti sunt tempestates, incendia, aquarum eluviones, procellæ et turbines, terræ motus, ruinæ montium, venena animalium et fructuum, etc. Quid non periculis imminet frugibus? Sexta, imprævisio casuum fortuitorum, qui undique occurrunt. Unde August. « Quis ambulat, inquit, ubicumque non inopinatis subjacent casibus? De foro quidam rediens domum sanis pedibus suis, cecidit, pedem fregit, et ex illo vulnere finivit hanc vitam. Quid videtur sedente securus? De sella, in qua sedebat, cecidit Heli sacerdos et mortuus est. » Sic Augustinus. *Ex his omnibus quæ diximus, sufficere si vel unum aut alterum notemus. Quantum nimirum malum sit peccatum, quod in tantam miseriarum congeriem non Adamum solum, sed omnes etiam posteris ejus projecit. Deinde, quam necessarium nobis fuerit Samaritanus aliquis, qui tam misere confectis remedium aliquod afferret? Timeamus igitur Deum justum, amemus misericordem.*

CONCIO VI.

QUOMODO PER GRATIAM MEDIATORIS SANENTUR
VULNERA PECCATI ORIGINALIS.

I. Remedium intellectus. — II. Remedium voluntatis. — III. Remedium partis animæ inferioris. — IV. Medela miseriarum corporis. — V. Medela externarum calamitatum.

THEMA.

Appropians alligavit vulnera ejus. Luc. X.

Cum in hodierno evangelio audimus Samaritanum appropriasse ad hominem illum, qui incidit in latrones, et curam ejus egisse, debemus, auditores, in genua nostra cadere, et dicere cum apostolo, I. Tim. I. *Fidelis sermo et omnia acceptione dignus, quod Christus Jesus venit*

in hunc mundum, peccatores salvos facere. Quid enim homo ille nisi genus humanum in Adamo lapsum, et a latronibus inferni misere confectum denotat quem Samaritanus, nisi Christum? Ergo sicut miser ille ingenti haud dubie per fusus gaudio fuit, cum vidit Samaritanum sibi appropinquantem et medelam adhibentem : ita omnino nos immortales Deo gratias agere debemus, quoties audimus Christum Jesum venisse in hunc mundum veluti Samaritanum, ut nos salvos facere. Vidimus alibi vulnera generi humano inflata, nunc medicum et medelam videbimus.

I. Cæcus noster intellectus per Christi fidem, gratiam et doctrinam, illuminatus est, ita ut jam non in tenebris ignorantie et errorum, sed in luce et meridie ambulemus, uti prædixit Isaias, c. LX. dicens : *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, etc.* Et confirmat apostolus ad Rom. XIII. cum ait : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit : abjiciamus ergo opera tenebrarum et induamus arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.* Ambularunt gentes in tenebris, quia nec Deum agnoverunt, nec finem suum, iudicium, infernum, beatitudinem cœlestem, peccati gravitatem nescierunt, et plurima scelera pro peccatis non habuerunt; dæmonis malitiam et laqueos, idolorum vanitatem ignorarunt. Unde perpetuo et gravissime impegerunt. At vero nunc per Christi gratiam in die ambulamus; quia celsitudinem divinæ majestatis, immensitatem promissionum ejus, poenas impiis reservatas, virtutum pulchritudinem, peccatorum fœditatem, diaboli fraudes, idololatriæ stultitiam, vanitatem rerum pereuntium, aliaque quæ agenda vel fugienda nobis sunt ad salutem consequendam, luce clarius cernimus. Ex quo patet, gravius delinquere Christianos, cum peccant, quam gentiles; quemadmodum magis culpandi sunt, qui interdum impingunt aut aberrant, quam qui noctu; quia illi sciunt, quo sibi sit eundum, hi vero viam nesciunt, nec vident. Hac luce illustrati alii ab erroribus resipiscunt, et ad veritatem redeunt, ut prodigus ille filius : statur, in quo erat et in quo aliquando fuerat agnoscens, qui in se reversus ait : *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereor; surgam et ibo ad patrem meum,* Luc. XV. et Saulus, qui luce cœlesti circumfusus dicebat : *Domine quid me vis facere,* Act. IX. et S. Aug. aliique innumeri, qui subito illustrati, et errores suos detestati, viam cœli agnoverunt. Alii tametsi rudes et illitterati, in rebus ad salutem spectantibus sunt doctissimi, prout prædixit etiam Isaias, c. LIV. dicens : *Ponam uni-*

versos filios tuos doctos a Domino : et Jeremias c. XXXI. Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens : Cognosco Dominum, omnes enim agnoscent me, a minimo eorum usque ad maximum. Volunt dicere, omnes fideles fidei lumine illustrandos, ut non sit opus magno labore ad cognoscendum Deum, aliaque fidei mysteria perdiscenda, uti et illa quæ ad salutem ejusque spectant; sed a puero una cum materno lacte quasi hæc imbibituros : siquidem parentes initio docebunt filios suos rudimenta fidei, deinde catechistæ teneræ ætati clarius ea exponent; sicque unus puer fidelis doctior erit omnibus ethnicorum philosophis, quoad fidei cognitionem, quæ sola vera philosophia et sapientia est.

II. Per eandem gratiam reformata et roborata est voluntas ad vitia debellanda et virtutes comparandas. Ejus enim auxilio possumus vitare omnia peccata gravia, quod multos sanctos fecisse et facere hodieque, dubium non est. Possumus et a lapsu facile resurgere, et vitiosos habitus destruere, adeoque veterem hominem exuere ac novum induere, sicque per virtutem emergere ad pristinum naturæ integræ statum, majore utique laude, quam si ex eo nunquam dejecti fuisset. Plurima sunt hujus rei exempla. Bonifacius civis Romanus cum Aglae matrona prius impudice versatus, post ejus rei poenitentia ductus contulit se poenitentiae causa ad conquiendam et sepeliendam martyrum corpora, tandemque et ipse glorioso martyrio occubuit. Aglae similiter poenitens piis se operibus addixit, « Latro quidam, (in prato spirituali Jo. Moschi, c. CXLIII.) David nomine apud Hermopolim plurimos expoliabat, plures etiam interficiebat, ita ut nullus ei in his crudelitatis operibus conferri posset. Die quadam, dum exerceret latrocinia cum sociis plusquam triginta, ad mentem rediens, compunctus est corde, relictoque consortio abiit ad monasterium; quærit de abbate : interrogatus quid vellet : Monachus, ait fieri volo. Recusante abbate ingressum, eo quod senex esset, et delicatæ vitæ assuetus, minusque par esset laboribus et abstinentiæ religiosæ, fervens animo in hæc verba erumpit : Ego sum David princeps ille latronum; ideo huc veni, ut defleam peccata mea : si me suscipere renueris, Deum testor, ad priorem redibo vitam; assumptisque mihi sociis, monasterium hoc funditus evertam. His auditis, suscepit eum abbas tendensque eum, habitum religiosum induit. Hic in humilitate, obedientia, abstinentia, aliisque virtutibus tantum profectum fecit, ut inter septuaginta monachos (tot erant in illo monas-